



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

153. An dispositio loquens de parochiis, extendatur ad beneficia habentes accessoriè parochialitatem, seu unitas sibi parochias, & curam habitualiter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

erectione formali sui in titulum distinctum, & omnimoda independentia à priore. de Luca de decimis d. 12. n. 12.

Quaestio 152. Num Parochialis Ecclesia nomine veniant, quae simul sunt collegiatae?

Respondeo: non venire in odiosis, adeoque strictae interpretationis, idque ob specialem ejus qualitatem (quemadmodum dici solet in materia odiosa, nomine Clericorum non comprehendi Episcopos vel regulares; eò quòd, licet & ipsi sint Clerici, tamen specialem qualitatem habeant, ob quam communi Clericorum nomine in materia strictae interpretationis comprehendi non debeant) atque ita v. g. dum c. licet canon, statuit, ut nisi quis parochialem Ecclesiam consecutus intra annum fiat presbyter, ipso facto absque alia sententia eà privatus existat. &c. non comprehenditur is, qui obtinuit parochialem, quae simul collegiata est, ita ut Praepositus v. g. qui hoc ipso simul est Parochus ejusdem Ecclesiae seu Rector plebis, teneatur fieri intra annum sacerdos, ni velit privatus existere istà Ecclesia. Ita expressè ob praedictam rationem, nimirum ob specialem talis Ecclesiae qualitatem statuit Bonif. VIII. in c. statutum, de elect. in 6. Laym. ibid. uti & ad c. 3 de postul. n. 1. vide de Luca paulò post citandum. Neque his obstat, quòd dum Ecclesiae alicujus praepositus est etiam ibi Canonicus vel Capellanus, statuta poenalia & onerosa loquentia de Canonicis vel Capellanis, cadant etiam in talem praeposituram; nam id verum est, si praepositura, Canonicatus, vel Capellanatus censentur diversa beneficia, adeoque etiam in casu, si alicui Collegii Rectori dispensato super pluralitate beneficiorum parochialis Ecclesia de novo conferatur, statuta odiosa de parochis in talem quoque Rectorem cadent; secus verò dum Ecclesia simul est collegiata & Parochialis, & Rector illius hoc ipso etiam est Parochus, absque eo, quòd per hoc duo beneficia habeat. hinc

Quaestio 153. In genere, an dispositio loquens de parochis extendatur ad beneficia, quae accessione habent parochialitatem, seu parochias unitas, & curam habitualiter?

Respondeo negativè: semper enim habenda est ratio principalioris qualitatis, nempe Ecclesiae collegiatae, & secundum hanc accessoria quasi qualitas, nempe parochialitatis, aliaque conditiones regulanda sunt. Laym. ad cit. c. statutum. actus enim regulantur à principali & praedominante, non autem ab accessorio & consecutivo; & consequenter cura (intellige habitualis, secus enim est, ubi Canonicatus fixè annexum est ejusdem curae exercitium. C. Luc. de benef. d. 16. & 952.) accessorie annexa dignitati, vel Canonicatus non alterat ipsius dignitatis naturam seu qualitatem, neque reddit beneficium verè curatum tam ad effectum formae concursus, etatis, residentiae requisitae aliàs ad beneficium verè curatum, quam expressiois curae aliàs faciendae in quacunque provisione beneficii curati. C. de Luca. de benef. d. 77. n. 3. & fultus ibid. d. 24. n. 6. & seq. sed potius parochialis Ecclesia amittit veluti naturam suam, & induit naturam & conditiones collegiatae tanquam principalioris, dum ad eam evehitur, vel ei unitur. Laym. ad cit. c. statutum. De cetero notandum ex de Luca de benef. d. 14. n. 7. uti & ad Trid. d. 16. n. 4. quòd parochiales saepe signa & denominationem colle-

giatarum habent, absque eo, quòd verè tales sint; sic praesertim in loco, ubi sunt unicae matricēs, habent Clericos & Capellanos nationales illi adscriptos pro illius cultu & Rectoris adjutorio, qui massam faciunt, & vulgò capituli denominationem de facto habent, Syndicum constituunt, missam conventualem celebrant, aliaque similia iis, quae in collegiatis sunt, praestant. Sed haec sunt signa aequivoca attendenda quidem pro adminiculis collegialitatis, habentis alias probationes univocas pro iis supplendis & corroborandis, non autem quòd se solis eam probent.

Quaestio 154. Quae sint, vel non sint sufficientes causa constituendi novam parochiam, dismembrando antiquam?

1. Respondeo esse sequentes. Primò: ubi ob locorum distantiam aut difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda accedere non possunt. Barb. loc. cit. n. 23. citans Gonz. ad reg. 8. gl. 6. n. 96. possuntque hoc in eo casu Episcopi etiam invitis Rectoribus (& addit Azor p. 2. l. 3. q. 7. etiam patronis) juxta c. ad audientiam. de Ecclesiis adif. Assignando etiam pro arbitrio suo in sustentationem novi parochi fructus ad Ecclesiam matricem quomodocunque pertinentes, aut si necesse fuerit, compellendo populum Ecclesiae noviter erectae ad necessaria eidem sacerdoti subministranda juxta dispositionem Trid. sess. 21. c. 4. Corrad. l. 3. c. 1. n. 1. Barb. loc. cit. qui tamen l. 2. juris Ecclesiastici c. 2. nu. 8. hoc ipsum sic limitat ex Menoch. & Riccio: nisi in loco minimè difficili, nec incommodo adesset oratorium vel Ecclesia cum fonte baptismali, & ceteris ad parochiam necessariis; ibique poneret Rector sacerdotem in sui adjutorem.

2. Secundò: ubi multitudo fidelium excrevit, & Ecclesia una evidenter non est sufficiens propter novarum habitationum distantiam; possunt tunc, etiam cum alterius Ecclesiae praedicio, adificari & constitui novae parochiae. Barb. l. ult. cit. n. 11. Praedictum enim, quòd alteri Ecclesiae inferri potest praeter damnum aedificii cohaerentis, est participatio sumptuum in constructione, aut impensarum pro sustentatione novi Rectoris, vel damnum in jurisdictione etiam oblationibus, quae fieri solent Ecclesiae. Barb. ibid. ubi multa de constructione aliarum Ecclesiarum.

3. Tertio: licet in cap. ad audientiam. expressa non sit, expressis tamen ibidem aequipollens, adeoque sufficiens causa est dismembrandi antiquam, & constituendi novam parochiam, dum antiqua parochia, quae prius erat extra moenia, ampliata dein urbe iisdem includitur, ita ut nocturno tempore ob clausas urbis portas parti parochianorum extra habitanti non pateat recursus ad parochum, aut hujus ad illos, ac ita maxima patiantur animarum pericula in repentinis casibus infirmitatis & mortis (dum tamen ut rectè hunc casum limitat C. de Luca. de paroch. d. 34. n. 6. neque in vicinia adest alius, cui pro istis casibus parochiani commendarri possent) Corrad. l. 3. c. 2. n. 7. fusè ex Lapo alleg. 66. Lot. l. 1. q. 28. n. 26. qui etiam nu. 27. causam aliam similem addit; nimirum si existat medius fluvius vel torrens inter Ecclesiam & partem populi illi subiecti, qui saepe exundans ita obsideret iter, ut aliquando infirmi cogantur sine Sacramentis mori.